

1610 *sed ut, cum nullo id negotio (uti sibi suaferant) impetrassent, tum demum in suas partes Rempublicam pertraxisse, rumoribus ac fama vulgarent, quo inter Gallorum Regem vosque suspicionum semina jacerent; atque ut ii, qui Gallo fa-
vent, praesidiis nudatos, spe dejectos cum se animadverterent, perterrefacti animos desponderent: quo sane nil illis acerbius, nil vobis durius accidere potest. Non ignorant, in Henrico summam fortitudinem, egregiam virtutem, scientiam rei militaris eximiam esse; quantum ille Reipublicae benevolentia ac mutuis officiis junctus sit, quantum vos praesidii in Rege invicto, atque supra omnium saeculorum memoriam insigni, statuere possitis. Id agunt, id moliuntur, ut quacumque ratione nexus iste debilitetur & confringatur. Norunt, vobis conjunctis, eorum cupidini atque dominandi libidini omnes obstructas vias, neque altius posse in Italia suas res tollere. Hinc mirum non est, si cum palam haec tentare nequeant, solito astu per cuniculos aggrediantur. Cur enim aliis itineribus Germanos milites in Galliam Cisalpinam non traducunt? An non anno millesimo sexcentesimo sexto, dum arma in Italia ob pontificia ac Veneta dissidia streperent, Germanos per Alsatie fines, Acronium lacum, inde per Verbanum ductavere? Cur ratio itinerum immutatur? cur per Benacum trajectus petitur, nisi, ut Henrico immerenti in totius christiani orbis theatro insignis a vobis injuria inferatur? Quid enim aliud existimet, cum armatus ipse, sociis praepotentibus stipatus, ingentia animo volvens, vestras ditiones, oppida, urbes suis hostibus patefactas inspiciet? An haec munificentissimi ac gratissimi Senatus, an majorum instituta sunt, qui beneficiis cum amicis certare potius, quam cum hostibus injuriis dimicare voluerunt? Nisi forte parum vestrae dignitati & incolumitati consuluisse Henricus visus est, dum anno millesimo sexcentesimo primo, cum omnia belli suspicionibus exardescerent, se consilia rationesque suas a Republica nunquam sejuncturum testatus est: dum anno millesimo sexcentesimo sexto, Hispanis nova, dum Pontifici fa-
verent, in Italia agitantibus, virtute, prudentia, constantia obstitit, Pauloque ad saniora consilia ducto, Reipublicae jura tutatus, pacem egregiam Senatui peperit. Quae sane retenta animo, ad posterorum memoriam transmissa, quis
non*